


Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1133 8° copy 1




Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1133 8° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1133 8° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1133 8° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1133 8° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1133 8° copy 1


7, - 116.

LN 1133
ex. 1
M



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1133 8° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1133 8° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1133 8° copy 1

CONCIONES QVAE IN TRIBVS DIEBVS

publicarum precationum, 17. 18. 19. Februarij Ecclesiæ proponentur.

P. M.



HAFNIÆ

Impreßit Matthias Vinitor,

ANNO

1589.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1133 8° copy 1



Auguſt.

MElior eſt in malis factis humilis confeſsio, quam in bonis ſuperba gloriatio.







66

Con-



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1133 8° copy 1

CONCIO PRIMÆ Diei.

Esaiæ 57.

ET dicet: Viam faci-
te, viam facite, expur-
gate semitam, auferte
offendicula de via po-
puli mei.

Quoniam sic dicit
excelsus & sublimis,
quiq; inhabitat æter-
nitatem, & cuius nomen est sanctum: Celsi-
tudinem & sanctitatem ego inhabito, atq;
cum contrito & humili spiritu, vt viuificem
spiritum humilium, & viuificem cor contri-
torum.

Non enim in æternum litigabo, neq;
perpetuò irascar, quoniam spiritus à
facie mea egredietur, & ven-
tum ego faciam.



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1133 8° copy 1

MAgna & deploranda eſt, multorum hodie ſecuritas, qui licet quotidie videant plurima, eaq́ manifeſtiſsima iræ Diuinæ ſigna: nihilominus tamen ea, veluti inania quædam terriculamenta, & ad ſe nihil pertinentia, ſecuri rident & contemnunt. Ardent, proh dolor, omnia ferè regna funeſtiſsimis bellis, neq́ tam armis, quàm dolis & inſidijs res agitur: Peſtis rurſum in vicinis locis horribiliter graſſatur: fuerunt hac æſtate & toto ferè autumno grauiſsimæ & continuæ propemodum tempeſtates & pluuiæ, ſuperiore fortè hominum memoria inauditæ, quæ certè nihil, niſi iratam Dei faciem, aduerſus multiplicem mundi huius malitiam, & cœlum, quaſi

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1133 8° copy 1

fusißimis lachrymis, hominum scelera deplorans, ostendere videntur, & quæ pestilentiam, caritatem & rerum ferè omnium penuriam nobis, absq; omni dubio, minitantur.

Videmus, non sine magno nostro malo, quàm verè in hæc nostra tempora, inciderit tristißima illa pœna, quam suæ ætatis hominibus denunciat Esaias cap: 19. defectus videlicet pisciū maris, indubiè propter detestandam multorū ingratitudinem, qui tanta DEI dona, cum debita gratiarum actione meritò sumenda, scelerate fastidiunt & contemnunt.

Hæc qui non agnoscunt, certißima & infallibilia signa esse, justißimæ iræ diuinæ aduersum nos accensæ, eos necesse est animo esse prorsus obstinato, & verè ἀπηλγηκότας, vt Paulus eos nominat Ephes: 4.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1133 8° copy 1

Ephes: 4. qui nullis vel minis vel plagis mouentur.

Sed vt hæc omnia nihil sint, vnum tamen est, quod omnibus, iræ diuinæ metũ, meritò incutiet: immatura, videlicet mors, pijssimi & optimi Regis nostri, beatissimæ & laudatissimæ memoriæ, qui verè erat pater patriæ & Ecclesiæ nutritius. Sed & hîc se prodit, impia & profana multorum securitas, qui non seriò afficiuntur, tanti tamq́; incomparabilis boni amissione, sed in eorum sunt numero, quorum securitatem accusat Esaias, Cap. 57. Iustus perit, & nemo est qui id corde perpendat, & viri sancti abripiuntur, & nemo est qui intelligat. Nec tamen nulli sunt, qui non simulato, sed vero dolore, tanti Regis obitu afficiuntur, cogitantes id quod res est, peccata nostra, tam insperati mali, veram cau-

sam

sam fuisse, sicuti sapientissimus ille Salomon testatur Prouerb. 28. Propter delicta terræ mutantur Principes.

Cùm autem, eodem Salomone attestante: Prouerb: 18. Nomen Domini turris sit fortissima, laudanda meritò est, pietas superioris Magistratus, qui nomine illustrissimi Principis, Regis nostri electi, triduum hoc ordinauit, vt in hisce Regnis & Ducatibus, ad deprecandum mala commerita, publicæ preces in Ecclesijs fierent. Quare moueat nos, dilecti mei, tam tristis rerum omnium facies, & infinita pericula, quibus vndiq; expositi sumus, vt frequentes hisce diebus ad sacras Conciones audiendas, precesq; nostras coniunctis animis fundendas, conueniamus, omniq; hypocrisi seposita, seriâ pœnitentia, nos ad Deũ conuertamus. Accusemus prophanam

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1133 8° copy 1

noſtram ſecuritatem, & multiplicia pec-
cata, quibus iuſtiſſimam iram Dei, ad-
uerſus nos prouocamus: Declaremus
certis ſignis, quòd verè & ex animo do-
leamus, nos tantopere DEVM offen-
diſſe, neq; tamen deſperemus, propter ac-
cenſam eius iram, quam vera pœnitentia
citò reſtinguet: vtut maximè inter-
dum, videatur differre auxilium, & qua-
ſi obſurdeſcere ad noſtras preces: Sed
firmâ & indubitata ſpe, aſſiduis & ar-
dentibus precibus, miſericordiæ eius ia-
nuam indeſinenter pulſemus. ita enim
fiet, vt preces noſtræ per ac propter fili-
um eius vnigenitum, in cuius nomine eas
fundimus, clementer tandem exaudian-
tur.

Filius DEI, qui ſedet ad dexteram
Patris, interpellans pro nobis, reſpiciat
ad nos, oculis miſericordiæ ſuæ, & accen-
dat

dat in nobis ſpiritum illum gratiæ & precum, vt verâ non ſimulata aliqua animi humilitate, ad preces noſtras faciendas, triduum hoc, ac deinceps ſemper conueniamus, ſuaſq; preces, pro nobis apud Patrem interponat, vt in nomine eius, in quibuſcunq; neceſsitatibus, clementer exauditi, ipſum cum Patre & ſpiritu ſancto perpetuis laudibus celebremus.

AMEN.

Nunc ad textum, ſuprà recitatum accedamus, qui in tres partes diuidatur.

1. Adhortatio eſt ad ſeriam pœnitentiam.

2. Promiſsio, Deum verè adeſſe seriò pœnitentibus eoſq; efficaciter iuuare.

3. Conſolatio, Deum non velle perpetuò iraſci delinquentibus, ſed eos reſipiſcentes, in gratiam recipere.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1133 8° copy 1

DE PRIMA PARTE.

Et dicet: Viam facite, viam facite, expurgate semitam, Auferte offendicula de via populi mei.

Hæc pars continet seriam exhortationem ad pœnitentiam, quam perpetuò, in Ecclesijs sonabunt pij Doctores. Vt autem maior habeatur ipsorum doctrinæ fides, cogitabunt pij Auditores, eiusmodi doctrinam, non esse alicuius hominis, sed ipsius Dei, vnde etiam hanc suam contionem sic orditur Propheta: Et dicet. Dominus scilicet. Quare decet vt hanc pœnitentiæ concionem, animis attentißimis audiamus, non tam docentis, quàm ipsius Dei authoritate moti, cuius vicem sustinent pij verbi ministri, quemadmodum CHRISTVS ipse grauißimè

testatur

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1133 8° copy 1

teſtatur Luc. 10. inquiens: Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit.

Quàm ſeria autem ſit hæc Prophetæ Concio, indicat eiuſdem rei ingeminatio: Viam facite, viam facite. Similis concio eſt ſuperior illa, Cap: 40: Parate viam Domino, &c. Sed quid eſt facere ſeu parare viam Domino? Eſt verâ & ſeria pœnitentia, malos & vitioſos affectus, prauas cupiditates & quæcunq; alia, cùm interna tùm externa peccata, cum voluntate & Lege Dei pugnantia, reſecare, ne impedimento ſint Domino, quo minus ad nos accedat, noſtramq́; miſeriam ſubleuet. Eſt enim ſingularis & ineffabilis DEI φιλανθρωπία, qui cum verè reſipiſcentibus, etiam cohabitare dignatur, ſicuti in ſecunda parte, DEO volente, mox dicetur copioſiùs:

Sed

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1133 8° copy 1

Sed, proh dolor, ea nunc est plurimorum securitas & peruicacia, vt spretis & contemptis omnibus sanis admonitionibus, in quæuis scelera præcipites ferantur, peccatis peccata furenter cumulantes. Nullus est verus Dei timor: Nulla syncera DEI vel proximi dilectio: Nullus, aut perexiguus saltem, verbi ministerio honos defertur: Nulla est seria inuocatio: Charitas non modo frigescit, sed tota penè extinguitur: Econtrà viget omnis impietas, contemptus ministerij: Odium & inuidia proximi: pauperum oppreßio: Crescunt iniustæ vsuræ, immodicus luxus in vestitu, superbia, ingratitudo, crapula, ebrietas, Adulteria, scortationes & eiusmodi alia atrocia & innumera peccata, quibus licet DEVS non solùm grauiter irascatur: sed etiam horribiliter ea puniat: Tamen

eò nunc

eò nunc deuentum eſt, vt propemodum pro virtutibus habeantur. Nos autem, moniti hac tam graui, & ſeria Prophetæ Concione, certò ſtatuamus ea, veluti ingentia ſaxa, viam præcludere, ne Deo ad nos acceſſus pateat. Quare diſcamus in nos deſcendere, manuſq́; quod dici ſolet, in proprium ſinum immittere, non tam in aliorum, quàm in noſtra errata inquirentes, quibus animaduerſis, ſtudeamus omni diligentia, ea expurgare, ne etiam proximum ſcandalizemus, quod cum noſtræ ſalutis extremo periculo coniunctum, docet CHRISTVS Matth: 18. Væ mundo à Scandalis, &c. Hoc ſi faciemus, habentes ſerium propoſitum, piè & honeſtè in poſterum viuendi, Deus certò ad nos veniet, iuxta promiſsionem ſuam, de qua in ſecunda parte mox dicetur.

DE

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1133 8° copy 1

DE SECVNDA Parte.

Quoniam sic dicit excelsus & sublimis, quiq; inhabitat æternitatem, & cuius nomen est sanctum: Celsitudinem & sanctitatem ego inhabito, atq; cum contrito & humili spiritu, vt viuificem spiritum humilium, & viuificem cor contritorum.

Hæc est ipsissima Euangelij concio, continens dulcissimam promissionem, imis pectoribus infigendam, quæ pertinet ad eos, qui non retinent propositum peccandi, sed ad priorem pœnitentiæ concionem, amputatis omnibus vitijs, vitam & mores suos, DEO per omnia probare student. Cùm autem magna sit infirmitas, & animi humani angustia, quæ non potest capere tam amplas promissiones

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1133 8° copy 1

nes, de diuina præsentia, quòd cum contrito & humili spiritu etiam habitare velit, multis & magnificis titulis Deum ornat Propheta, quòd videlicet excelsus sit & sublimis, æternus, Sanctus, ne quid de eius promißionis certitudine dubitemus: Sed firmâ fide statuamus Deum, licet in summis Cœlis habitantem, nobis tamen sensu peccatorum & metu iræ & iudicij Diuini, contritis & humiliatis, verè in terris adesse & cohabitare, iuxta dulcißimam hanc suam promißionem, quæ etiam alibi paßim repetitur: veluti infrà, Cap. 66. Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum & trementem sermones meos. Et Psal: 34. Iuxta est Dominus his qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu saluabit. Nullo igitur modo statuendum est, Deum peccatores seriò resipiscentes

auersari

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1133 8° copy 1

auersari, licet multis sceleribus pollutos: Sed eos corde contritos sanare, & alligare contritiones eorũ, ps: 147. eorumq; contritione, non aliter ac suauissimo sacrificio delectari, quemadmodum dicitur Ps: 51. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies.

Adest quidem DEVS, etiam alijs creaturis, sed generali præsentia, quoad conseruationem substantiæ: Homini verò conuerso sic adest, vt faciat eum sibi templum & domicilium, in quo habitet, eumq; metu iræ ac iudicij Diuini territum ac consternatum, imò penè mortuum, spiritu suo sancto corroboret ac viuificet, sicuti in tertia parte, quæ sequitur, breuiter dicetur.

DE

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1133 8° copy 1

DE TERTIA
parte.

Non enim in æternum litigabo, neq; perpetuò irascar, quoniam spiritus à facie mea egredietur, & ventum ego faciam.

Hæc est insignis doctrina, & plena consolationis, quâ sese erigant miseri peccatores, sensu iræ & iudicij Diuini, veluti fulmine prostrati, ne desperent propter peccatorum multitudinem, & iræ Dei magnitudinem, sed vt in mediis terroribus, hac consolatione se firmiter sustentent, quòd nôrint hanc promissionem Dei certam esse & immotam, quòd non velit ipsis resipiscentibus, perpetuò litem intendere & irasci, sicuti & alibi hæc eadem promissio recitatur, veluti Psal: 30. Quoniam momentum ira eius, & vita delectatur, ad vesperum demorabitur fletus, ad matutinum lætitia.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1133 8° copy 1

Et Psal: 103. Non in perpetuum contendet, neq; in æternum irascetur: Sed quòd velit eos, verè contritos, spiritu suo sancto, veluti leni & grato quodam vento, & afflatu recreare & exhilarare, ne irâ Dei penitus absorbeantur, sed vt corda eorum sentiant efficacem Spiritus sancti consolationem, quâ verè statuant iram Dei esse momentaneam, id est, Deum, licet irascitur, & punit, tamen non esse tenacem offensionum, sed citò remittere iram, in qua etiam misericordiæ recordatur, Abac: 3. quiq; punit, non vt perdat, sed vt saluet, & vitam atq; lætitiam restituat. Verùm hæc omnia illustriora fient, si intueamur in exemplum Dauidis pœnitentis, quod, Deo volente, crastinâ concione, ex Psalm: 130. proponemus.

†₊†

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1133 8° copy 1

CONCIO SECVNDÆ Diei.

Psalm. 130.

DE profundis clamaui ad te Domine.

Domine exaudi vocem meam : Fiant aures tuæ intendentes, in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis consistet ?

Quia apud te propitiatio est, vt timearis.

Expecto Dominum, expectauit anima mea, in verbo eius speraui.

Anima mea expectat Dominum, à vigilia matutina vsq; ad (aliam) vigiliam matutinam.

Speret Israel in Domino, quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus eius.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1133 8° copy 1

ENARRATIO.

Audiuimus hesternâ concione, seriam Prophetæ exhortationem ad pœnitentiam, & adiunctam dulcissimam promissionem, & consolationem, quòd Deus non modò non deserat miseros peccatores, verè pœnitentes: Sed etiam cum ijs Spiritu suo sancto habitet, efficiatq́, vt sentiant veram lætitiam & consolationem in cordibus suis, ne deinceps DEUM, tanquam iratum iudicem metuant: Quin potiùs ad eum, tanquam ad benignissimum patrem, liberè accedant, certâ spe atq́ fiducia, quòd eos, veris cordis gemitibus ipsum inuocantes, clementer sit exauditurus. Hæc autem illustrabit pulcherrimum exemplum Dauidis, quod breuiter nunc proponemus ex Psalm: 130. iam recitato, quem docendi gratiâ, in tres partes diuidemus.

1. Conti

1. Continet ardentißimam precationem Dauidis, in qua affectus hominis verè pœnitentis conſpicitur.

2. Proponit ſummam doctrinæ Chriſtianæ de iuſtificatione hominis coram Deo.

3. Continet dulcißimas conſolationes, opponendas tentationibus, quæ vel ex dilatione auxilij Diuini, vel peccatorum multitudiue, oriuntur.

DE PRIMA PARTE.

De profundis clamaui ad te Domine. Domine exaudi vocem meam: Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ.

Hæc eſt ſeria precatio Dauidis, quam non intelligunt homines ſecuri & profani, mundi huius voluptatibus ebrij, qui nullo neq; peccatorum, neq; iræ diuinæ aduerſus peccata, vero ſenſu tanguntur:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1133 8° copy 1

tur. Verùm qui aliquando senserunt terrores peccati & iræ diuinæ, quosq́ Deus in schola crucis, duriùs aliquanto exercuit, hi inquam verè intelligunt, quid sit, De profundis ad Dominum clamare.

Duo autem potissimùm, in hac Dauidis precatione conspiciuntur, quæ hominis verè pœnitentis affectum ostendunt.

PRIMVM est, vt verâ contritione, accedat ad DEVM, quæ non est frigida & otiosa aliqua peccati consideratio, sed seria agnitio iræ DEI aduersus peccatum, quâ fit, vt homo peccator, expauescat propter iram Dei, & verè doleat, quòd DEVM offenderit. Hæc enim est illa profunditas, de qua loquitur Dauid, quam aliàs vocat dolorem mortis & inferni, vbi sensu peccati, & metu iudicij diuini, territus miser peccator, & luctans cum tentatione de

abiectio-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1133 8° copy 1

abiectione, videtur ſibi quaſi in profundiſsimas aquas, & in imum inferni barathrum demerſus, cui nihil ob oculos verſatur, niſi æterna mors, ac infernus ipſe, à quo, niſi per hunc Dominum, nulla ſperari poteſt liberatio.

Sed dolendum eſt, eam eſſe multorum ſecuritatem, vt peccatum & iram Dei aduerſus peccatum, vel prorſus contemnant, vel leuiter ſaltem æſtiment, de quibus Dauid ipſe grauiter conqueritur Pſal: 90. Domine quis nouit potentiam iræ tuæ, & quis metuit iram tuam? Vt autem excutiatur animis hominum, deteſtanda hæc ſecuritas, cogitandæ ſunt, non ſolùm grauiſsimæ comminationes diuinæ, ſed & horribiles pœnæ, cùm priuatæ tùm publicæ, certiſsima iræ diuinæ ſigna: Imprimis verò acerbiſsima mors filij Dei, quæ vel ſola, iræ diuinæ metum, in omnium cordibus, meritò excitabit.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1133 8° copy 1

ALTERVM est, ne sensu peccatorum & iræ diuinæ, quasi grauißima mole, in profundißimam dolorum abyssum demersi, desperemus de misericordia Dei, sed vt ad hoc Dauidis exemplum, non oscitanter, sed seriò & ardenter, de profundis, hoc est, imis cordis gemitibus, ad Deum clamemus: Neque deficiamus precantes, sed cum Dauide, instemus apud eum orando, nihil dubitantes, quin precibus nostris, benignas aures præbiturus sit, sicuti in tertia parte dicetur copiosiùs.

DE SECVNDA Parte.

Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis consistet?
Quia apud te propitiatio est vt timearis.

Hæc secunda pars, breuiter proponit summam doctrinæ Christianæ, de iustifi-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1133 8° copy 1

iustificatione hominis coram Deo. Primò enim, perspicuè testatur Dauid, nullam esse dignitatem humanorum operum, quâ coram Deo consistere aliquis potest, verùm omnibus funditus pereundum esse, si Deus omnes actiones nostras, ad calculum exactè vocare, & pro sua iustitia, omnes pœnas, quas peccatis nostris meruimus, exequi velit. Huic asseuerationi etiam illa respondet, quæ est, Ps: 143. DOMINE, ne intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Item illa Iob cap: 9. Verè scio, quòd non iustificetur homo coram Deo: Si enim voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere vnum pro mille. Et Paulus similiter de se testatur, 1. Cor: 4. Nullius mihi conscius sum, sed non per hoc iustificatus sum.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1133 8° copy 1

Deinde ostendit quò confugiendum sit, propriorum operum meritis destitutis? Ad Deum ipsum, apud quem solum est propitiatio, *hoc est, gratia seu gratuita liberatio à peccatis, idq; propter filium, quem vnicum propitiatorem Deus proposuit, quemadmodum testatur Paulus Rom: 3. Iustificamur gratis gratiâ ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiatorem in sanguine suo.*

Diligenter igitur hîc obseruanda est singularis Emphasis in Pronomine, TE, Apud TE propitiatio est, non apud me, aut vlla mea merita.

Postremò, indicat veram caussam, cur apud solum Deum, & nusquam extra ipsum, quærenda sit expiatio, nimirum vt Deus timeatur, hoc est, vt omnis honor ac gloria, in salutis nostræ negotio, soli Deo tribuatur, nec quicquam

nostris

noſtris meritis, aut noſtrorum operum dignitati aſſcribatur, id quod & Paulus docet, Epheſ: 2. Gratiâ ſaluati eſtis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt, non ex operibus, ne quis glorietur. Si autem gratia eſt ex operibus, iam non eſt gratia, Rom. 11.

DE TERTIA Parte.

Expecto Dominum, expectauit anima mea, in verbo eius ſperaui
Anima mea expectat Dominum à vigilia matutina, vſq; ad (aliam) vigiliam matutinam.
Speret Iſrael in Domino, quia apud Dominum miſericordia & copioſa apud eum redemptio.
Et ipſe redimet Iſrael ex omnibus iniquitatibus eius.

In hac tertia parte, proponuntur dulciſsimæ conſolationes, aduerſus graui-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1133 8° copy 1

uißimas tentationes, ex dilatione auxilij Diuini & peccatorum multitudine ortas. Ingens enim dolor est, quem parit in animis nostris, mora & dilatio auxilij diuini, qualem etiam Dauidem sensisse, haud obscurè indicat, cùm expectandi verbum, sæpius repetitum, tùm similitudo illa, à vigilibus desumpta, quâ significat se ardentiùs expectasse Deum, quàm vigil aliquis, nocturnarum vigiliarum pertæsus, diem expectat, in qua dormire, & à nocturnis molestijs quiescere ipsi liceat. Nam etiamsi omnis quidem affectus, impatiens sit moræ, hic tamen impatientißimus, adeò vt etiam horula vna, hac tentatione oppresso, integer videatur annus, vnde crebræ istæ querelæ in Psalmis, precationibus mixtæ: Psal: 6. Sed tu Domine, quousq;? Psal: 10. Vt quid Domine recessisti longè, occultas te in tempore tribulationis?

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1133 8° copy 1

lationis? Et aliæ complures, quæ in Pſalmis occurrunt, 13. 27. 44. & paſſim in alijs, quæ oſtendunt huius tentationis magnitudinem, quâ miſer peccator ita proſternitur, vt exiſtimet, ſe non amplius Deo curæ eſſe: ſed deſeri à Deo: nec vllum auxilij locum, apud Deum relictum. Verùm huic tentationi, quantumuis graui & difficili, præſentiſsimum remedium monſtrat Dauid, verbum videlicet Domini, in quo ſolo, omnis ſpes eſt collocanda. Hinc petendæ certiſsimæ promiſsiones, huic tentationi firma fide opponendæ, cuiuſmodi ſuperiore concione audiuimus, quæ teſtantur Deum, non modò non procul à nobis contritis & afflictis abeſſe, ſed ita propè adeſſe, vt etiam nobiſcum habitet, accendens in cordibus noſtris, lætitiam, fidem, ſpem, ne deſperemus propter diuturniorem moram, & dilationem auxilij

Diuini

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1133 8° copy 1

Diuini, ſed vt ampliſsimas Dei promiſ-ſiones, in verbo eius propoſitas, firmâ ſpe atq; fiducia amplectamur, & in eis læti acquieſcentes, expectemus Dominum, Si moram fecerit, quia veniens veniet & non tardabit. Abac: 2.

Præterea, nec leuis eſt alia tentatio ex multitudine peccatorum orta, quæ ſæpius piorum animos fatigat, ſicuti triſtiſſima multorum exempla, proh dolor, teſtantur. Sed vincitur etiam hæc tentatio, quando cum Dauide, certiſsimam hanc conſolationem, firmâ fide nobis applicamus, vt certò ſtatuamus, Deum omnibus reſipiſcentibus verè miſericordem eſſe, & vt maxima ſit peccatorum noſtrorum multitudo, multo tamen, & in infinitum, maiorem eius eſſe miſericordiam, apud quem, non aſtricta, ſed copioſa eſt redemptio, non ſolùm ab vno aut altero, aut etiam pluribus aliquot,

ſed ab omnibus, quantumuis multis magnis peccatis, deniq; à morte ipſa peccati ſtipendio, à maledictione legis, à tyrannide Diaboli, cui propter peccatum ſubiecti ſumus: Et ab omnibus præterea huius vitæ miſerijs atq; ærumnis, quæ omnia quaſi concatenata, peccatum ſecum trahit. Huc addatur & aliud teſtimonium Dauidis, quo miſericordiam Dei nobis commendat, pſ: 103. Miſericors & miſerator Dominus &c. vbi tribus pulcherrimis ſimilitudinibus, immenſam & ineffabilem Dei miſericordiam pingit. Item, illud Ezech: 3. 33. Viuo ego dicit Dominus &c. O beatos, inquit Tertullianus, quorum cauſâ Deus iurat: O miſeros, qui nec iuranti domino credũt.

Suſtentemus etiam nos in hac tentatione, intuentes in illuſtria illa exempla primorum parentum, Nabuchdonoſeris, Manaſſæ, Magdalenæ & aliorum, ne

deficia-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1133 8° copy 1

deficiamus à Deo, propter multitudinem peccatorum, neq; dicamus cum miſero Caino: Maior eſt iniquitas mea, quàm vt veniam conſequi queam: Sed audiamus Auguſtinũ ipſum arguentem: Mentiris Cain, quia maior eſt Dei miſericordia, quàm omnium peccatorum miſeria: Et certâ ſpe atq; fiducia, cum Paulo ſtatuamus gratiam exuperare peccatum.

Rom. 5.



CON.



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1133 8° copy 1

CONCIO TERTIÆ Diei.

1. Timoth: 2.



Dhortor igitur primum omnium, fieri deprecationes, petitiones, interceſsiones, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in eminentia ſunt, vt quietam & tranquillam vitam degamus, in omni pietate & honeſtate. Hoc enim bonum & acceptum eſt coram DEO ſeruatore noſtro, qui vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire.





Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1133 8° copy 1

AVdiuimus biduo proximè præterito, primùm quàm ſeriò Deus, per Prophetam, miſeros peccatores ad pœnitentiam inuitet. Deinde dulciſsimam promiſsionem & conſolationem, quòd Deus contritos & humiliatos, non modò non aſpernetur, ſed tanto etiam honore eos dignetur, vt cum ijs habitet, ſpiritu ſancto accendente in cordibus eorum veram læticiam ac fidem, quâ certò ſtatuant, ſe Deo gratos & acceptos eſſe. Præterea, pulcherrimum Dauidis exemplum, in quo conſpicitur, primùm vera, non ſimulata hominis pœnitentis contritio: Deinde ſingularis fiducia, quâ ſe, licet peccatorum mole oppreſſum, firmiter erigit, vt certò ſtatuat, ſe Deum habere propitium, propter vnicum ac

ſolum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1133 8° copy 1

ſolum Mediatorem & Propitiatorem Chriſtum, Vnde certâ ſpe concepta, fortiter ſe ſuſtentat, ne vel morâ & dilatione auxilij diuini, vel peccatorum multitudine fractus, penitus ſuccumbat, ſed vt certâ fiducia, pleniſsimam liberationem, cùm à præſentis vitæ huius ærumnis, tùm ab omnibus peccatis, à Deo petat atq; expectet. Hoc illuſtri Dauidis exemplo, & certiſsimis Dei promiſsionibus, animos noſtros confirmemus, ne ſenſu peccatorum, & aliorum malorum concurſu, luctuoſo hoc tempore, deficiamus à Deo, verùm à Deo irato, ad DEVM miſericordem confugiamus, noſtraſq; neceſsitates, in eius ſinum, veris cordis gemitibus, ardente oratione effundamus, de qua nunc, ex ſeria hac Pauli adhortatione, iam recitata, breuiter, DEO fauente, dicetur, cuius tres ſunt inſignes doctrinæ.

 1. De

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1133 8° copy 1

1. De quatuor distinctis precationum formis, quas hîc Paulus ordine recenset.
2. Ostendit pro quibus orandum sit, vbi simul recitantur grauißimæ rationes, cur Magistratus potißimùm, aßiduis piorum precibus, Deo commendari debeat.
3. Est illustre testimonium, quòd gratia Dei sit vniuersalis, pertinens ad Omnes, quotquot firmâ eam fide amplectuntur. Verùm cùm hæ doctrinæ, vtcunque superioribus annis, aliquoties explicatæ sint, non iudicaui opus esse, eadem nunc repetere.

Moueat autem nos luctuosißimum hoc tempus, quo Deus pijßimum & clementißimum Regem nostrum, beatißimæ ac laudatißimæ memoriæ, morte tam insperata nobis eripuit, vt cogitantes, peccata nostra, quæ, proh dolor, indies crescere videmus, tam grauem pœnam

comme-

commeruiſſe, verâ ac ſeria pœnitentia, nos ad Deum conuertamus, coniunctiſq; & ardentibus votis, Deum precemur, ne totam iram ſuam ſuper nos effundat, ſed vt, peccatis noſtris, propter filium vnigenitum, gratuitò condonatis, nos in gratiam recipiat, faciatq; vt quemadmodum hactenus, ita deinceps quoq;, in horum Regnorum & Ducatuum Eccleſijs & Scholis, vera de Deo doctrina, pura & integra, nullis erroribus contaminata, conſeruetur: Impediat eorum conatus, qui tranquillitatem Eccleſiarũ, pernicioſis concertationibus, non ſine graui veræ Religionis iactura, ſummoq; piorum omnium luctu, miſerè turbant: Et conſeruet docentes ac diſcentes omnes, in pia ac ſalutari concordia, vt in eo, vnum ſint, vnum velint, vnum faciant.

Conſeruet illuſtriſsimam Reginam, vt in hoc tàm graui & acerbo luctu, ſen-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1133 8° copy 1

tiat veram spiritus sancti consolationem, certâq; se spe erigat, futuræ aliquando coniunctionis, cum dulcißimo Marito, cuius nulla vnquam metuenda est distractio.

Conseruet illustrißimum Principem Christianum, Regem nostrum electum, vt ad optimi & pijßimi Parentis & Aui exemplum, vt ætate, ita verâ etiam pietate, sapientia, iustitia, clementia, cæterisq; virtutibus regijs omnibus, indies proficiens, horum Regnorum & Ducatuum gubernationem, fœlici aliquando omine suscipiat, vt in Dei gloriam, & horum Regnorum commodum, eiusq; Maiestatis salutem omnia eueniant.

Conseruet cæteros liberos Regios, eosq; orphanos, in paternam suam protectionem clementer recipiat, vt eius præsidio tuti, ad Christi exemplum, in-

dies

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1133 8° copy 1

dies proficiant ætate, ſapientia & gratia apud Deum & homines.

Conſeruet prudentiſsimos Regni Senatores, eorumq́ conſilia & actiones omnes, in hac tàm triſti rerum noſtrarum mutatione, Spiritu ſuo ſancto regat, vt eorum ſalutaribus conſilijs, retineatur in hiſce Regnis & Ducatibus, pia & ſalutaris pax & tranquillitas, ſeruentur honeſtæ leges, & iuſta diſciplina, deniq; vt omnia ipſorum conſilia, Deo grata, Eccleſijs & Scholis, & hiſce Regnis vtilia ſint ac ſalutaria.

Conſeruet florentiſsimam horum Regnorum & Ducatuum nobilitatem, omneſq́ incolas ac ſubditos: Auertat ab hiſce Regnis, bella, famem, peſtem, & quæcunq; alia mala, peccatis noſtris debita. Mitiget præſentes & imminentes pœnas, quas iuſtiſsima ira Dei, nobis minari videtur, vt in vero

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1133 8° copy 1

Dei timore, iugulatis omnibus peccatis, pacificè & tranquillè viuentes, diuinis benedictionibus, læti ac gratis animis fruamur, Deumq́ patrem, cum Filio & Spiritu sancto, hîc & in futura vita, perpetuis laudibus celebremus.

†+†

AMEN.



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1133 8° copy 1

catis,
uinis
nimis
ilio
tu.

ORDINATIO PRECAtionum, Epistolarum & Euangeliorum, quæ singulis diebus recitabuntur.

PRIMAE DIEI Precatio siue COLLECTA.

O Euige / barmhiertige GUD / oc Alsomkiæriste Fader / Wi arme Menniske bekende voris mangfoldige Synder / oc din store oc wsigelige Barmhiertighed / aff huilcken du kalder oss til en Christen Penitentz: Wi bede dig ydmygelige / O Naadige Fader / du vilt effter din naadelige Løffte oc Foriettelse / forlade oss alle vore Synder: Du vilt vdrydde aff vore Hierter / alt syndigt væsen / som er imod din gud:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1133 8° copy 1

vommelige vilie: At wi maa vere din hellig Aands Tempel oc Bolige: Du vilt icke lade din vrede vare offuer oss euindelige/ Men mit vdi din vrede/ tencke paa din Faderlige Naade oc Barmhiertighed/ at wi formedelst din hellig Aand/maa finde Liffactig trøst oc husualelse i vore Hierter/ mod Synden/ Døden oc all anden Fristelse oc fare/ Oc saa endelige met dig bliffue salige/ ved din eniste oc elskelige Søn/ JEsum Christum vor HERRE/ Amen.

LOCO EPISTOLÆ,
Esaiæ 57.
Et dicet: Viam facite, &c.

EVANG: Matth. 3.

Initium. Cùm vidisset autem mutos.
Finis. Omnis ergo arbor, &c.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1133 8° copy 1

SECVNDÆ DIEI
Collecta.

O Almectigste/ Naadefulde oc Barmhiertige Gud/ du som haffuer selff loffuit ved dine hellige Propheter/ At du icke vilt nogen Synderis død/ men at hand skal omuende sig oc leffue/ Wi arme Syndere komme for dit Ansict/ besuerede met vore Synders mangfoldighed/ Oc finder ingen voris Retferdighed/ met huilcken wi for din strenge Dom kunde bliffue bestandige: Wi bede dig ydmygelige O Naadige Fader/ Du vilt icke see til vorts mangfoldige Synder/men til din store Naade oc Barmhiertighed/ oc naadelige forlade oss alle vore Synder: Du vilt formedelst

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1133 8° copy 1

din hellig Aand / styrcke oc forøge vor Tro / At wi icke for vore Synders skyld / skulle falde i Mißhaab / oc tuile paa din Naade oc Barmhiertighed / Men taalmodelige foruente din Faderlige hielp / oc en naadig vdfrielse aff Synden / Oc all Syndsens vel fortiente straff / At wi maa see oc kende din Faderlige hielp / oc altid loffue oc prise dig / som en Naadig oc Barmhiertig Gud oc Fader / ved din eniste oc elskelige Søn Jesum Christum vor HErre / Amen.

❦

LOCO EPISTOLÆ.
Psalm. 130.

EVANG: Matth. II.

Initium. Venite ad me omnes, &c. vsque ad finem capitis.

TER-

TERTIÆ DIEI

Collecta.



Almectigſte / Euige Gud / du ſom haffuer vnder din veldige Haand / alle Verdſens Riger oc Regimente/ oc vdi ſaa mange maade begaffuit diſſe Lande oc Riger/ met dine mangfoldige Gaffuer oc Velſignelſer: Wi bede dig ydmygelige / O Naadige Fader / du vilt ſee naadelige til oſſ i denne ſørgelige oc bedrøffuelige tid/ Du vilt icke ſtraffe oſſ vdi din vredis grumhed / Men met din Faderlige Naade oc Barmhiertighed/ du vilt naadelige beuare oſſ dit hellige oc ſalige Ord/ oc Ordſens Tienere / i en Chriſten enighed oc ſamdrectighed: Du vilt ſee naadelige til voris Elſkelige Dronning/

Dron-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1133 8° copy 1

Dronning Sophia/ Oc hende naadelige trøste oc husuale i denne hendis Hiertens sorg oc bedrøffuelse: Du vilt naadelige beuare voris vdualde Printz oc Konge/ Her Christian/ at hand maa opdragis vdi din sande Fryct/ oc forfremmis vdi Alder/ Vijsdom oc Forstand/ Retferdighed oc Fromhed/ oc alle andre Kongelige dyder/ At hand vdi sin tid/ maa føre it Gudfryctigt/ Christeligt/ Languarende oc Fredsommeligt Regimente: Du vilt naadelige beuare de andre Kongelige Børn/ vdi din Guddommelige beskyttelse oc beskermelse/ Du vilt beuare dennem fra all fare oc wlycke/ oc naadelige benedide oc velsigne dennem/ baade til Siel oc Liff. Du vilt naadelige beuare Danmarcks Rigis Raad/ fra alle onde oc falske Raadgiffuere/

Du

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1133 8° copy 1

Du vilt formedelst din hellig Aand Raade oc Regere alle deris Raad oc Anslag/ dig til ære / din Christne Kircke oc Schole til bistand/ oc disse oc andre Lande oc Riger til en bestandig Fred oc Enighed / Du vilt naadelige beuare all Danmarcks oc Norgis Rigers Adel / oc all anden Christen Offrighed/ met Menige Vndersaatte: Du vilt naadelige affuende fra disse Lande oc Riger/ Pestilentze/ Krig oc Orloff/ Hunger oc Dyrtid/ oc alle andre velfortiente Plager / som din Retferdige vrede trwer oss met / Du vilt beuare oss fra alle voris Fiender oc Vuenner/ hemmelige oc aabenbare/ At wi formedelst din gode Guddommelige oc Faderlige hielp / maa naadelige beuaris fra all fare oc wlycke / oc leffue it Roligt oc Fredsommeligt leffnit/

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1133 8° copy 1

nit / vdi all Gudelighed oc Erlig-
hed / Ved din eniste / elskelige oc en-
baarne Søn / JEsum CHri-
stum vor HERRE /
AMEN.



EPISTOLA,

1. Timoth. 2.

Adhortor igitur.

EVANG: Luc. 18.


Initium. Dicebat autem & Parabolam.
Finis. Quia citò faciat vindictam
eorum.



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1133 8° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1133 8° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1133 8° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1133 8° copy 1